

priam sed Platoniam habuisse doctrinam, ex ratione temporis blasphemiam colorantes, quod prius Platonis Philosophiam, quàm CHRISTI Euangelium esse constaret. Quæ calumnia per sanctissimæ memoriæ Ambrosium, Mediolanensem Episcopum ita conuicta est, vt ostenderetur Platonem potius, quæ vera sensisset, non quidem ex ore Saluatoris, quem videre non potuit, sed ab ipsius præconibus longè ante promissis accepisse. Si quidem quo tempore in Aegyptum venit, seu fortè seu diuinitus illic inuenisse Hieremiam, à quo Propheticum suscepisset arcanum, quod (vt dixi) successor eius Apuleius, quamuis multo breuius, nec expresso Hieremiæ nomine consensit. Idem tamen Augustinus in aliis postmodum Libris, in quibus Ciuitatem Dei ædificat, & aduersariam subuertit, in hanc ipsam Historiam reuersus, excussa diligentius annorum serie, comperit quod de Hieremia scripserat, non fuisse possibile, qua Hieremias scilicet centum annis ante Platonis originem prophetaffet. Addit & aliam impossibilitatem: negat enim translationem Septuaginta-Interpretum ex Hebræa in Græcam linguam

guam